[illegible]

mundicia fidei. et candore uirtutum. Donec aspiret di
es. et inclinentur umbre. i. donec ueniat scilicet lux ornat
erna. ~~et tenebre. i.~~ et umbre. id est. errores presentis uite
transeant. Reuertere. similis esto capree dilecte mi hinnulo
que ceruorum super montes bethel. Quasi. obsecro dilecte mi.
ut sepius reuertaris ad me. dulcedine tue uisitationis.
quia in carne quam de patriarcharum origine suscepisti. super
·iii· omnem celestium montium altitudinem. et [illegible] ascendisti. ut
eterna speculatione laborem mee releues peregrinationis. In
lectulo meo per noctem quesiui quem diligit anima mea. quesiui
illum et non inueni. Iam dudum. multo studio quesiui dominum.
sed quia adhuc illecebris carnis mee. subdita fui. et tenebris
profunde ignorantie obceca. non inueni lumen ueritatis. i. dominum.
Surgam et circuibo ciuitatem. per uicos et plateas. queram
quem diligit anima mea. quesiui illum et non inueni. Pro
posui animo meo de lecto carnalium uoluptatum surgere.
terras ac maria circuire. phylosophorum mysteria ~~circuire~~.
adire: sed sic non inueni illum. Inuenerunt me uigiles qui
custodiunt ciuitatem. num quem diligit anima mea uidistis?
Vigiles sunt apostoli et doctores qui custodiunt ecclesiam: qui genti
litatem ueritatis [illegible] indagine sollicitam inuenerunt.
Paululum cum pertransissem eos. [illegible] inueni quem diligit
anima mea. Dum me illorum magisterio tradidi: mox quod
quesiui. lumen ueritatis inueni. Tenui illum nec dimittam:
donec introducam illum in domum matris mee. et in cubi
culum genitricis mee. Teneo illum firma fide. donec in fine